

1522. d. 2. Augusti Neapoliti Iermini

48

Littere Iodoci Ludovici Decij, ad Joannem Dan-
tiscum Sigismundi I. regis secretarium et Ora-
torem ad caesarem maiestatem.

Tom. II. p. 105.

S. D. Redii ego domum quarta huius mensis. Quod
licet Norimbergi intellexeram longe peregrinationis
tibi provinciam esse demandatam, sperabam tamen
quia caesar in Hispanias concedere statuisset, atque
omne in Germania imperium principibus qui Nor-
imberga agunt recenset, futurum esse ut tua le-
gatio interiret, quod et ex re tua, et summe
tibi gratum credebam, sed dum huc venissem, alia
ex aula commissio facta, qua longum iter tuum
confirmatur. Mittuntur tibi igitur littere regia, pecu-
nia item auri videlicet trecenti Hungaricales, ego
vero pro observantia qua te semper colebam, amicus
scripsi, ut te amici excipiant faveantque, intercedit
enim mihi cum Fugganis singularis quaedam consue-
tudo, dedissem et in aulam epistolas, nisi scirem
te in ea curia maximos multosque habere amicos.
Scripsi tamen huic qui Fuggarorum rebus praest,
ut ad tuam postulationem, quatenus necesse erit,
benevolentiam exhibeat singularem, et ad eos quos
inter charissimos in aula habet, tibi litteras assignet.
Proximis ex urbe mihi literis significatum est, in
re tua nihil fieri posse, nisi presente pontifice,
haec etenim causa per signaturam expediuntur. Quan-
do vero tibi nunc pontifex ad manum erit, facilius
expediet, videbitur enim ad oculum praesens legiti-
ma tua excusatio. Novi apud nos nihil, nisi
quod

N.